

ejus character, in quo divina ejusdem veritas eo magis elucet, quo naturæ Dei, eam constituentis, & statui hominis beando est convenientior.

PROPOSITIONES.

PROPOSITIO PRIMA

De æquilibrii moralis principio.

Æquilibrii inter fidem & fidelitatem moralis principium est in ipso Deo, seu in ejus gratia & justitia.

ILLUSTRATIO.

1. Singula quidem Dei attributa influxum suum præstant ad religionis Christianæ constitutionem & praxin; quam maxime tamen gratia & justitia; utpote quorum attributorum temperamentum salutis fundamentum ac ordinem constituit. Cui utriusque uti, pro nostra comprehendendi imbecillitate, præest Dei sapientia, ita etiam pondus addit omnipotentia.
2. Hujus principii, quod æquilibrium hoc in ipso Deo habet, consideratio nos in ipsa praxi identidem remittit ad ipsum Deum.
3. Principii hujus præstantia ac firmitas infinita doctrinam religionis Christianæ omnem, speciatim moralem, unicuique sincero ejus cultori quam maxime commendabilem reddit.

PRO-